

tangunt: latent, quae subjectae sunt fortunae. Quum enim nihil sine causa fiat; hoc ipsum est fortunae eventum, causa quod latente efficitur. Etiam ea, quae fiunt, partim sunt ignorata, partim voluntaria: ignorata, quae fortuna effecta sunt; voluntaria, quae consilio. Nam jacere telum, voluntatis est; ferire, quem nolueris, fortunae. Ex quo aries ille subjicitur in vestris actionibus: Si telum manu fugit magis, quam jecit. Cadunt etiam in ignorationem atque in imprudentiam perturbationes animi; quae, quamquam sunt voluntariae (objurgatione enim, et admonitione dejiciuntur), tamen habent tantos motus, ut ea, quae voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur. Toto igitur loco causarum explicato, ex earum differentia in magnis quidem causis vel oratorum, vel philosophorum, magna argumentorum suppetit copia; in vestris autem, si non uberior, at fortasse subtilior. Privata enim judicia maximarum quidem rerum in jurisconsultorum mihi videntur esse prudentia. Nam et adsunt multum, et adhibentur in consilio: et patronis diligentibus, ad eorum prudentiam confugientibus, hastas ministrant. In omnibus igitur iis judiciis, in quibus, ex *fide bona*, est additum: ubi vero etiam, *inter bonos bene agier*; imprimisque in arbitrio rei uxoriae, in quo est, *aequius melius*, parati esse debent. Illi enim dolum malum, illi fidem bonam, illi aequum, bonum, illi, quid socium socio, quid eum, qui negotia aliena curasset, ei, cujus ea negotia fuissent, quid eum, qui mandasset, eumve, cui mandatum esset, alterum alteri praestare oporteret, quid virum uxori, quid uxorem viro, tradiderunt. Licebit igitur, diligenter cognitis argumentorum locis, non modo oratoribus et philosophis, sed juris etiam peritis copiose de consultationibus suis disputare.

Cap. XVII. Conjunctus huic causarum loco locus ille est rerum, quae efficiuntur ex causis. Ut enim causa effectum indicat, sic, quod effectum est, quae fuerit causa, demonstrat.